



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 10. Caussæ complures, ob quas Deus auaros militiæ duces sinit  
depauperari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)



de patrimonio Christi, per varias artes ac prætextus, accumulentur. Nos Deo, non Deum nobis seruire oportet. Quare neque, vt nostræ fortunæ & thesauri augeantur, minuenda sunt, quæ maiores ad animæ suæ emolumentum, Deo donauerunt. Illi dando Ecclesijs semper locupletiores effecti sunt, hic modus est perueniendi ad diuitias. Qui autem Ecclesias, qui monasteria, qui ædes sacras spoliauerunt; neque spolia retinuerunt, & insuper etiam, quæ antè habebant, perdiderunt. Quia, vt in

Prou. 13.  
21.

proverbijs est, *Peccatores persequitur malum, & iustis retribuentur bona. Bonus relinquit heredes filios, & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris.*

§. X.

*Causse complures, ob quas Deus auaros militiæ duces finit depauperari.*

Atque vt ad nostros mores veterum exempla comparemus, nonnè quod olim statum Imperij, in occidente, per barbaros euertit, id ipsum quoque nostra ætate fieri audimus, videmus, experimur? Non igitur mirandum est, si pœnas similes infligi videamus, vbi paria sunt delicta, Vbi peccata peccatis æquantur, debent etiam clades claudibus



dibus æquiparari. Quid enim iustus iudex & mundi Rector agat, si summam in tribunis & centurionibus videat cupiditatem, quam meritò summam esse ostendit summa crudelitas? Quemadmodum enim militum auaritiâ prodit rapacitas, quæ sine misericordia obuios quosq; in via spoliât, domi expilat; ita & milites militum prætores, fame emori sinunt, si vel commeatum, vel stipendia negant, & eos tamen excubare, vigilare, vitam & sanguinem exponere cogunt. An Deus impunè sinat ire tot nomina exactionum, contributionum, & familiarum, & familiarium? morionum, ludionum, lenonum, & meretricum? tot stabula equorum, asinorum canum? vt, ad venandum, non bellandum exisse putes. Abominatur hæc Dominus, & omnes participes, omnes conscios iustissimè sinit diuitijs excidere, quæ rarò transeunt ad tertium hæredem. Quid quòd multi nobiles, multi præfecti, multi in alijs officijs positi duri sunt & contumeliosi in suos subditos, quos tondere, quàm regere malunt. Hinc & illos hostis omnibus fortunis exiit, non rarò etiam vitâ. Quin & Deus plures ex improviso auferit. Hinc cum maximè opes in tuto pu-

L tant,



Luc. 12.  
19.

tant, cùm dicunt animæ suæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare, tolluntur, rapinis suis non fruuntur; & ad supplicia luenda rapiuntur. Quid quòd neque ciues, neque opifices, neque coloni semper opibus suis digni sunt, quas per artes malas, per fraudes, per mendacia, per furta, acquisierunt? Nonnè iustus est Deus, si malè parua malè perdat? si hostibus suis hostes immutat? si ignes accendat & incendia suscitet? si aquas congreget & diluua explicet? si procellas multiplicet & naufragia procreet? Si muscas, si erucas, si locustas producat, & omnia vastet? deniq; si grandine fatalata boumq; labores percutiat? hostes suos in his omnibus percutit; auaritiã plectit, docetq; , beatam vitam, in auro & argento non reponendam. Deniq; qui sæpe immiti cahinno mendicos irriferunt, aut à se vacuos dimiserunt, iustissimâ Numinis sententiã incidunt in paupertatem, vt & ipsi riu-*

Pro. 14.  
19. *sum ac sarcasmm experiantur, iuxta illud: Iacebunt mali ante bonos: & impij ante portas iustorum.*

§. XI.

*Dari diuitias, & auferri bonis equè ac malis.*  
Hæc